



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

Serenissimo S. R. I. Principi, Reverendissimo Præsvli, Ac Domino Domino  
Alberto Sigismvndo Comiti Palatino Rheni, Vtriusque Bavarïæ, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**



SERENISSIMO S.R.I.  
PRINCIPI, REVERENDISSIMO  
PRÆSVLI, AC DOMINO  
DOMINO

ALBERTO  
SIGISMUNDO

COMITI PALATINO  
Rheni, Vtriusque Bavariæ, &  
Superioris Palatinatûs Duci,  
Landgravio Leuchtenbergi-  
co, Episcopo Frisingen-  
sium &c.

Domino meo Clementissimo.



*Arulus Romanorum Impera-  
tor huius nominis Quintus  
siquam ciuitatem ingressus  
horologia aduertit inter se si-  
bi, eaque solis ac diei passibus examusim  
)§( 2                    respondere,*

## EPISTOLA

respondere, boni ex eo Magistratus, civi-  
 lisq; disciplina argumentū sumpsit haud  
 inane. Horologio non absimile videtur  
 humanum Cor, Conscientia sedes, & ima-  
 go, ut qua suis quoque circumagitur af-  
 fectibus, suis libratur rationum ponderi-  
 bus, suo inquieta temone versat se nunc  
 præceps, nunc tardior timorem inter &  
 fiduciam, quasi momēta, iam in hanc, iam  
 in illam partem: decem insuper divi-  
 nis, ut illud duodecim horarum interual-  
 lis distinctum, signatur legibus & præ-  
 ceptis, que veracior index monstrat, at-  
 que indigitat diuini doctrina. Ad hoc  
 Cordis horologiū, Serenissime, & Reue-  
 rendissime Princeps, in primis Te at-  
 tendere obseruatum est, ad Tuorum, in-  
 quam, in Diocesi tua Conscientias, ut il-  
 lorum respondeant Tux, Tua autem Soli  
 Iustitia; id quod facis è laudabilius quàm  
 Carolus illud Romani Imperij decus, quò  
 plus hæc animorum horologia nobilitate  
 suâ illis civilibus præstant. Et qui præ-  
 terea compertum habetur, velle Te, &  
 curare omni modo, ut omnes Tui arte  
 moderandi conscientias sint quàm instru-  
 ctissimi, probè gnarum verissimi illi-  
 us effa-

## DEDICATORIA.

*us effati à Regum Sapiientissimo prolati,*  
 In directione Cordis Iudicium, sanos  
 scilicet hominum sensus & actiones ex  
 sana SS. Theologiae doctrina, synceraque  
 eius instructione oriri; his impellentibus  
 ausus fui, librum hunc ei, quam dixi, Cor-  
 dis directioni destinatum Serenissimo  
 Nomini Tuo inscribere, & verò Ima-  
 ginem quoque Tuam fronti illius præ-  
 figere, ne cui eundem, nisi Te Duce, Te  
 Iudice, Te Patrono, in lucem edere vo-  
 luisse viderer. Cur autem Serenissime,  
 & Reuerendissime Princeps operi huic  
 Te potius Patronū & Tutorē velim, præ-  
 ter ea, quæ memoravi, nō una hæc accedit  
 causa, quòd sub Te prodire ceperit, cū  
 Monachij Diæcesis Tuæ Metropoli mo-  
 dum rationemq; dirigenda conscientia in  
 Electorali Gymnasio traderem, sed singu-  
 laris imprimis illa Tua cū in alijs quo-  
 que, tum sacris maximè atque diuinis re-  
 bus Sapiencia: illa vigilantissima sanctis-  
 simarum Legum atq; Discipline custodia:  
 illud diuinæ scientiæ Tuis instillatæ ardēs  
 votum atq; desiderium: ille Tuus reuer-  
 rimus, & à Serenissimis Alberto Parente

## EPISTOLA.

& Maioribus Tuis verè hereditarius  
in minimam Societatem nostram affectus:  
& demississimus ille vicissim eiusdem er-  
ga Te Tuosque animus, quem vel con-  
scientiâ, teste omnium locupletissimo atq;  
sincerissimo, Tibi demonstrare desiderat.  
Accipe igitur, Serenissime, & Reueren-  
dissime Princeps, & iudica, Tuone fa-  
vore, patrocinioq; dignum sit: & si censes,  
Tuâ Authoritate, Clementiâq; fove, tuè-  
re, promoue. Friburgi Brisgoie Anno à  
Virgineo partu M. DC. LXV.

## Serenitatis Vestræ

Devotissimus servus in Christo

Adamus Burghaber, Societa-  
tis IESV.